

IN NOMINE JESU! 105.

DISSERTATIO PHYSICO-HISTORICA,

De

ELEPHANTIS

Et

EORUNDEM AD BELLUM APPARATU,

Quam.

Ex suffragio & adprobatione Amplissimi
Senatus Philosophici Aboensis,

SUB MODERAMINE

VIRI CELEBERRIMI atq; PRÆCLARISSIMI

Dn. M. PETRI HAHN,

Phys. Prof. & Bibliothecarii Regii,

Pro Gradu Magisterii


S. R. M. Alumnus

DANIEL LANNERUS,

Smolandus.

Publica ventilationi modeste submittit

Loco horisq; Suetis Anni 1709. die 12. Maj:



A B O Æ,

Exc. HENR. C. MERCKELL, Reg. Typogr.

S.Æ R.Æ M.^{TIS}

Summæ Fidei VIRO

REVERENDISSIMO IN CHRISTO
PATRI ac DOMINO,

DOMINO

M. TORSTANO
RUDEEN,

Dioecesis Wermelandiæ & Dahlia
SUPERINTENDENTI
Eminentissimo,

Venerandi Consistorii PRÆSIDI
Longe Celeberrimo,

Gymnasii & Scholarum per Dioecesin
EPHORO Gravissimo,

Mæcenati ac Promotori
Maximo.

VITAM ET INCOLUMITATEM.

DA veniam cæptis Mæcenas magne!
faventi
Scriptum, quale Tibi panditur,
ore lege!

Accipe sineera quod fert Tibi mente Thalia;
Multa licet fecit cura aliena leve.

Scilicet ut violam suboles dum cara parentis
Neglectam tenera porrigit usque manu:
Non tamen hanc tenuit genitor sed fronte
serena

Accipit, & ridens annuit ille dato:
Sic licet exiguum nullaque sit arte politum
Hæc mea quod tenuis pagina munus
habet;

Accipe quaeso tamen! nec tantum respice
donum,
Quantum ipsam mentem, qua Tibi tale
datur.

Mens mea grata quidem; Tua sitque pa-
terna vicissim:

Mens eadem qualis sæpius ante fuit.
Sic mea vota vigent, sic felix dicar ubique,
Proque Tua fundam vota salute pia.

REVERENDISS: TUÆ PATERNIT:

Humilimus Cliens

DANIEL LANNERUS.

Ad

Clarissimum CANDIDATUM

Dn. DANIELEM
LANNERUM,

*Meorum ut non ita pridem studiorum
Moderatorem indefessum,*

Sic

Amicum mihi devinctissimum:

Suum ubi emitteret Barrum militem.

INdas dum se queris dulcis LANNERE pha-
langes,
Describisq; feram, sævis quæ vasta Ma-
gistris

Paret, turrato turbans agmina dorso:
In dubio versor, Musis dicere sodalis,
An Marti? pacis placeant belline labores?
Tollit at hoc dubium, cujus Tu laude
vehéris,

Pieriis devotus amor sub pectore curis,
Auspiciis ito, quo Te tua fata vocabunt,
Felix; manabunt pleno Tibi munera cornu,
Pallas pro meritis Te sacro donat honore,
Et Tua præcingit Phœbea tempora lauru,

ERIC, ARCKENHOLTZ,

LECTORI BENIGNO SALUTEM!



Um de Elephantis historia tam sacra quam profana crebram faciat mentionem; quique praeterea de ipsis, sive ex professo, sive occasione aliqua scripsere, tanta dexteritatis eorum vel oculis usurpata suis, vel ab aliis relata tradant documenta, ut cum Philostrato proximum illis ab homine locum assignare non dubitent: haec insuper animalia (ut non omnis fert omnia tellus) non in nostra solum patria; sed etiam universa Europa, nisi advecta, insolentia sint atque invisa; nec, qui de iis ad exagium veritatis accuratius scripsere, adeo cuius parabiles sint: opere non plane defore existimavi pretium, si, ex nutu & suffragio Ampliss. Facult. Philos. ad honores mihi

viam paraturus Academicos, præcipua, qua de ipsis tam physica quam historica habentur, Dissertatiuncula ederem publica. Fateor equidem id, quod proverbialiter in πομφολυγόντας sive, quod ait Cic. fluctus in simpulo excitantes, jactari assolet, scil. Ελέφαντα ἐκ μύγας ποιῆν, in me baud inepte versum quadrare; dum adeo ingentem vasti corporis molem, laxiori utpote, minusque barbari villi stragulo dignam sesqui-plagula rudi includere satago. Sed efficiamus pro opibus nostris mœnia; nec, ut Comici adjungam verba, licet homini sæpe ita esse, ut vult, si res non finit. Non finit vero, ut curtam meam taceam supellectilem, temporis, quo (nisi propositum meum divina mutaverit dispositio) heic tibi commorari datur, angustia me esse prolixiozem. Sciagraphiam igitur qualemque solum polliceri habens, ut debite absolutionis perfectionisque defectui Benignus Lector veniam det, etiam atque etiam rogo.

Membrum Prius.

§. I.



N vindicandis sibi nominis Elephantis, qui Sperlingio *Animal quadrupes barriens &c.* definitur, natalibus operosi quidem satis deprehenduntur Græci, illud vel a *λόφος*, propter immanem, montiumque æmulam corporis Elephantini vastitatem, deducere; vel ex *ἔλος* & part. *βὰς* verbi *βαίνω*. ob frequentem Elephantum in paludibus consuetudinem (ut reliquas taceam conjecturas) componere conati. Ad veritatem tamen propius videntur accedere, qui orientem cum re nomen quoque transmississe asserunt. Præterquam enim, quod nihil frequentius usu venire, quam ut res peregrinæ nomina secum afferant exotica, ipse edocet usus; rei quoque natura & ratio iis favere videtur, qui originem vocis Elephas ab hebræo *אֵלֶפַת* vel *אֵלֶפֶת*, quorū illo Deut. 7. v. 13. 28. v. 14. 18. 51. Pl. 8. v. 8.

Prov. 14: v. 4. Esaj. 30: v. 24. hoc vero tantum
 Pl. 144: v. 14. boves insigniuntur, arcessunt;
 ducta videlicet ratione derivationis, vel
 a more, qui invaluit, quadrupedia pleraque
 majoris molis (ceui habet Bochartus) ad
 Boum referendi genus; vel a docilitate
 hujus animalis, qua cetera facile superat
 omnia. Radicem namque הָלַן discendi
 & affuescendi significatum obtinere ex
 lexicis constat. Et vocem מַלְפִּינִי (quod
 ὡς ἐν παραπόδῳ indicare liceat) hic non signi-
 ficare armenti Duces, pro solemni acce-
 ptione vocis הָלַן, sed jugum pati edo-
 ctos, sive συζυγείς, inde probat Celeb. Joh.
 Henr. Majus, quod non tantum tauros,
 verum & vaccas significet, quod demon-
 strat, ex verbis Psalm. 144. v. 14. מַלְפִּינִי
 מַלְפִּינִי, quæ ita exponit: boves nostræ
 ferentes i. e. onus uteri gestantes seu fœ-
 ræ: nec non ex locis Deut. 7: 13. & 28: 4.
 Nec desunt qui Elephantem ab eo, quo
 Orientalium multis, Persis puta, Chal-
 dæis, Syris & Arabibus insignitur nomi-
 ne, מַלְפִּינִי se, dictam volunt, inverso ele-
 mentorum ordine,

§. 11.

Quod alibi, propter vel linguæ inopiam, vel rerum inter se qualemuncq; convenientiam, fit, ut scil. plures eodem veniant nomine res, id hic quoque fieri censendum; alienis vero remotis nostram insignire significationem supervacuum ducimus, cum allata superius definitio nostræ curationis Elephantum satis *εὐγλωσσον* reddiderit. Varias autem appellationes, quibus Elephas noster salutatur. curiosius explicare magis forte juvabit. Notamus igitur naturæ illud miraculum *בהמות*, quod ipse *אל* Job.40. *לא ראוהו* prædicat, a multis, nec infirmi commatis viris, de Elephante intelligi & explicari: an vero rem acu, quod dicitur, tetigerint, nostræ non est decisionis. Nec enim eo temeritatis nostra processit tenuitas, ut tantorum super ea re desceptantium virorum litibus, sese immiscere sustineat. Hoc tamen fateri liceat, quod collatis, quæ Zoologi de Elephanti & Hippopotami Nilicolæ illius, cui prærogativam hancce, Elephanto eandem

abjudicans, tributum it cum Bocharto Majus, tradunt natura, haud invita ad eorum, qui pro Elephante pugnant, partes victoria sese videatur inclinare. Ex nomine porro שֵׁנִיָּהִים, quo ebur, sive dentes Elephanti 1. Reg. 10. 22. nuncupantur, conjecturam facit, imo vere sibi videtur laudatus Majus contendere posse, Elephantem hebraeis olim הֵבֶל, a radice hodieque apud Arabes superstite הִבֵּב *con-*
citatus fuit, vehementer spiravit, dictum fuisse, habito scilicet respectu ad vocem, quam Elephas stridulam edit. Quod etiam in nomine *Barrus* fieri haud ambigue inde conficitur, quod *barrire* (Elephantorum proprium) & *stridere* pro æquipollentibus habeantur. Vasti autem carnosique corporis admirationem ex rad. arab. פֶּלֶא, quod ipsis *obesum esse* significat nomen פֶּיל Elephanto dedisse auctor est Majus, appellationis phœniciaë בִּישְׁרִי, nec non punicaë *Cæsar* (ubi ס pro כ irrepsit) eandem insinuans causam. Nec ad longe ab hoc diversum intendunt Romani, dum Elephantem *belluam* nominant. Qua vero
 occa-

occasione Bos Luca appellari cœptus est his verbis indicat Plinius: H. A. Lib. 8. c.6. *Elephantes Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello & Boves Lucas appellavit in Lucania primum visos.* Quam tamen rationem, ne scil. priscorum rideatur simplicitas Romanorum, ridet Varro, licet contra tot Plinio ὁμοψήφων suffragia gratis.

§. III.

Eleganter satis atq; succincte externam oculisque subjectam Elephanti faciem in Argenide sua delineat Barclajus: *Immensum inquit & informe animal pene omnibus membris una mole confusis;mersum caput inter humeros, nec a globo multum dispar, nisi qua proboscis in terram descendit, fœde promissa a naribus, &, si color absit, instar longi & tumidi anguis, nervorum circulis ita articulatim nexa, ut contrahi laxarique flecti etiam possit & esse pro manu. Patula aures utrumque tempus tegunt. Oculi exiguo orbe sub tumida fronte reconditi. Ebur, quo pretiosissimi sunt, longe ex ore eminent pene instar lituorum,*
nisi

nisi quod debiliori parte inflectitur. Notandum præterea (ut quæ in allata desiderari videntur tabula breviter adjiciamus) quod non, ut numerus pedum, ita figura cum ceteris conveniat gressilibus Elephantis: rotunditate namque & continuitate plantarum, qua terræ obverruntur in solidipedes similem superioris faciei in quinos digitos levis discretio ab iisdem discernit. Nec crurum posteriorum, quippe quæ introrsum, more hominis inclinat, cum ullo bruto eandem flexionem habet. Cutis raritate pilorum, cancellorum, quibus exaratur, crebritate, nec non ossea ferme a tergo duritie notabilis est. Ebur vero, cui, ut inter dentem & cornu mediæ quasi naturæ ex utroque compositum Vates Ezechiel assignat nomen *שן אריה* appellans, ebur, inquam, præ ceteris Elephantis partibus eximium insignis moles, utpote ad decem pedum nonnunquam extensa longitudinem, nisi veus candor mirusque labor facit. In proboscide cum volubilitate certat robur, quo tanto pollet, ut arbores, quibus ever-

tendis

tendis, vix viginti sufficiunt homines, hac circumdata uno vel altero ictu prosternat. Hac cibum, hac potum sibi in os ingerit: vetat enim, præter crurum proceritatem, colli brevitatem Elephantem humum ore attingere. Per hanc in altum sublatam flumen tranaturus respirat. Quod de genitali, ad corporis proportionem parvo tradit Aristoteles, Goropius Becanus convullum it. De testium vero, non foris conspicuorum, sed intus ad renes latitantium, situ inter omnes convenit.

§. IV.

Quoto ætatis anno veneri litare incipiant Elephantes, quantove temporis spatio uterum ferat fœmina, ab se invicem, quin & a se ipsis nonnullos dissidentes advertimus auctores. Dissidii hanc insinuat Philosophus causam, quod scilicet non pateat cortex; suboli namque daturæ operam secessus quærunt & latebras remotissimas; unde de coëundi modo, quæ traduntur incerta esse, certissimum est. *Parit vero* (verba sunt Aristotelis) *innitens*

tens posterioribus pedibus & subsidens cum dolore. Pullus, quem alibi dicit *γινεσθαι ὄσον μῆκος δεικνυος ἢ τεῖμνος*, editus ore fugit bina matris, sub alis anteriorum crurum latitantia ubera, & recens natus cernit ac ambulat. Pro varietate regionum, quæ mittunt Elephantos, quantitatem eorum discrepare amicus Zoologorum consensus est: Indiam etenim magnitudine ac robore, præ Africanis præstantes, Insulamque Zeilanam maximos ac optimos, quibusque ceteri omnes decedunt, gignere, conveniunt plurimi; summam ad quam assurgunt proceritatem intra sedecim vel octodecim pedum mensuram consistere affirmantes. An vero altitudini respondeat longitudo, Goropium inter & Becanum non convenit. Nec de colore hujus bestię unus omnium sensus est: quam enim Lucianus, cumque ipso Horatius toto corpore nigram facit, eidem Cardanus fuscum cinereo immixtum assignat colorem; cui etiam colori Bochartus Cardano

dano *δμοψήφος*, derivationem nominis *מִמְבָּרֵי* superinstruit. Peculiare autem est, quod Malabar, Goa aliæque inferioris Æthiopiæ regiones albos mittant. Ævum porro Elephantis diversimode metiuntur diversi. Sunt qui seculum unum, sunt qui duo ipsi tribuunt, sunt qui triseclifenis æmulum, imo victorem faciunt; vivacem vero esse conveniunt omnes. Licet nec diffitendum, quod etiam multos horum maturiora avocent fata morbis aliove accelerata casu. Patiuntur namque & hi suos manes, quippe qui morbis inflatione contractis nonnunquam laborant. Quo fit ne possint excrementum vel vesicæ vel alvi reddere. Oculorum quoque obnoxii sunt doloribus, quos tamen qui ex fletu propter desiderium soli natalis, dum eo extorres carent, oriri tradunt, sine dubio mentiuntur. Quantillæ vero molis sit tantam Elephantorum destruere molem inferius videre est.

§. V.

Atque hoc tantum animal (Nepotis de Agesilao verba *ἀναλόγως* saltem Ele-

phantō tribuere liceat) ut naturam in corpore fingendo nactum est maleficam; ita eandem habet fautricem in tribuendis animi virtutibus: constat enim inter omnes, qui de eo scriptum reliquerunt, nullum inter cuncta, si ab homine discesseris, animantia, ipso esse præstantius, siue ingenium spectes, siue mores. Nam ut omittam ea, quæ virorum quidem gravium auctoritatibus nixa; ex bruto tamen hominem nec barbarissimum facientia fidem superant; cujusmodi sunt solis lunæque veneratio religiosa; homini erranti viam monstrandi solertia, intellectus sermonis patrii, quin & ejusdem tam loquela quam scriptione expressio; adulteriorum homicidiorumque observatio & proditio; quis ingenii docilitatem; quis corporis ad omnes tam pacis quam belli artes tantum non humanam non miretur, imo in dignetur *εὐπέθειαν καὶ εὐκολίαν*? Certe tam informe tamque vastum pecus funambulū agere, in numerum ludere, congressusque edere gladiatorios, nemo, nisi stupidus

pidus, sine stupore intueri posset. Et quod
 objici hic potest, non eandem omnium
 esse capacitatem, haud sine eorum præ-
 cipuo conceditur encomio, tarditatem
 quippe ingenti studio curaque levare al-
 laborantium. Testis etenim cum Plinio
 est Plutarchus, Romæ quendam tardio-
 ris præ ceteris ingenii, adeoque verbis ac
 verberibus acrius correptum, gyros, quos
 cum reliquis explicatu difficiles facere
 docebatur, noctu ad lampada lunarem
 meditantem deprehensum esse. Ne au-
 tem quis existimet industriam hanc intra
 ea solum, quæ humano inculcantur la-
 bore consistere; suscipiendam adhuc ma-
 gis esse eam, quæ natura magistra stat, disci-
 plinam hæcce satis evincunt documenta:
 Subtrahebat curator quidam male fidus
 alumno suo Elephanto dimidium, quod
 herus ipsi destinaverat, demens: (est au-
 tem tam feris, quam cicuratis idem fe-
 re cum bubus ac equis pabulum, nisi quod
 immansueti palustribus egregie gandeant
 germinibus) Adventante vero aliquan-
 do inter pabulandum hero, quantum

justus erat admetiebatur totum: Elephas autem stellionatum, qua poterat, indicaturus, dimidium solerter amovebat manu, retento quantum solitus erat accipere. Nec minus callide alius magistri sui compensabat infidelitatem: cum enim hic, quo mensura impleretur, rudera ac terram pabulo immisceret, ille fraudem fraude ulturus in ollam magistri, carniū plenam correptum e foco cinerem injecit. Plura, nec minus admiranda solertiæ Elephantinæ exempla, cui copia & volupe est apud Plinium, Plutarchum, J. Lipsium aliosque videat. Nobis brevitatilicantibus paucis jam adductis acquiescendum est.

Membrum Posterius.

§. I.

Postquam audaces hominum animos lucri commodive alicujus eo impulerat spes, ut dulcissimum illud privilegium, *sue esse spontis*, a natura Elephantis irrogatum violarent, variæ eos capiendi





di jugoque submittendi adinventæ sunt
 viæ. Earum tamen, quas promiscue tra-
 dunt auctores, non ejusdem omnes sunt
 veritatis. Ut enim coxæ Elephantis recte
 descendentes, genuumque juncturæ pror-
 fus æquales, distentis item cruribus per-
 actus incessus veteribus fidem fecerat,
 crura Elephantorum columnarum in mo-
 dum rigere, nec ullis articulis inflecti;
 fabulæ, de tuta illa satisque commoda
 Elephantis capiendi ratione factus est lo-
 cus. Notant scil. (ceu tradunt Diod. Sic,
 Strabo aliique bene multi) Æthiopes ar-
 borem, cui acclinis somno se dare sivevit
 bellua, eamque juxta terram ita secant,
 ut nisi impulsa non cadat. Huic cum jam
 Elephas vesperi cibo plenus omni mole
 accumbit, una cum ipsa corruit resupi-
 nusque sine periculo occiditur. Cum ve-
 ro præter Aristotelem, qui sine poplitum
 flexu nullum incessum fieri dicit, multi
 Elephantorum *ἀνλόπιον* testentur illos, ad
 descensum conscensionemque sessorum,
 in terram demittere corpora, atque hæc
 proinde traditio corruat; missis ab Aristo-
 tele

tele & Plinio expositis, quippe qui satis noti sunt, modis, ex Alberto M. unum alterum ex Baldao referemus. Sic igitur Albertus a viro quodam (ut ipse dicit) fide digno acceptum refert: Indi faciunt foveas, in quas, esca illiciente, aliquando incidat Elephas, illapsum venatorum aliquis accedens flagro vehementer afficit, tandem alius supervenit, qui se Elephanto ostendens, percussorem illum tamquam cum increpatione & violentia, ab Elephanto rejicit, & mox Elephante in fovea relicto discedit. Redit percussor & rursus flageilians ab altero superveniente repellitur. Hoc saepius iteratur, ita ut Elephas tandem agnito liberatore suo conspectu ejus gaudeat; quo animadverso aperitur ei via fodiendo: egressus sequitur liberatorem suum eique parat. Pingit vero percussor, alieno indutus habitu, faciem terribili colore, ne postmodum ab Elephanto cicurato agnitus in vitae incurrat periculum. Baldaus vero, capiuntur, inquit, Elephanti prope Maturam (urbem insulae Zeylon) huuc maxime in mo-
dum

dum: arbores in terram superiori parte
 ita inflexæ sunt, ut qua introitus patet,
 spatiosam & expeditam viam præbeat,
 arctiorem autem, ubi longius processum
 est. Eo ducit feros unus ex domitis, pla-
 ne sicut in anatibus cernimus irretitos-
 que aut in foveas delapsos capiunt ii, qui
 in insidiis locantur. Capti deinde variis
 (licet quicumque ætate proVectiores ægre
 tardeque, Habessinenses vero nunquam)
 domantur artibus. Efficacissimum virium
 frangendarum feritatisque emolliendæ re-
 medium est fames, cui addita verbera
 nec non cantionis suavitas & cibariorum
 illecebræ, item

*Longa dies (quæ) hominem docuit fra-
 nare Leones.*

Paulatim ex fera domesticum faciunt.
 Ut vero in capiendis ita quoque doman-
 dis, cicurorum præcipuus est usus; ex illis
 namque duo ferorum singulos aquatam
 educendos excipiunt, ac renitentes den-
 tibus premunt, donec victi imperata
 faciant.

§. II.

Captos ita domitosque Elephantos multis adhibent usibus possessores, quippe quibus arant, vehuntur, vescuntur, ac (quod nostræ erit tractationis) dimicant proque finibus militant. Et licet naturali satisque admiranda instincti sint ad pugnandum, dum adhuc sui juris sunt, industria, quam a venatoribus appetiti ostendunt, priusquam tamen ab hominibus militatum producantur, haud secus ac novitii milites concursibus imaginariis tyrociniæ rudimenta deponere coguntur. Nec armis, quibus tam ad defensionem, quam impugnationem necessariis ipsos instruxit natura, contenti homines, loricas ipsis aureas ferreasve addunt, quibus cutem adeo licet (præcipue a tergo) duram, ut cujusvis teli facile respuat ictum, contegunt. Gladios præterea non contemnendæ magnitudinis dentibus alii, alii proboscidi alligant; Clitellas denique dorso impositas geminæ ex ferro catenæ subtus alvum cingunt, quibus turris superstruitur duplicem

cem usum, regendi scilicet belluas & (quod jaculis sagittisque fiebat) pugnandi inde habet. Ceterum quot omnino turres hæ capiant pugnatores, dissentiunt inter se auctores. Ex plurium tamen graviorumque, utpote *Æliani*, *Heliodori*, *Cadamusti* & *Vartomanni* testimoniis colligit *Bochartus* tres solum, aut quatuor, vel sex ad summum bellatores turres belluarum ingressos fuisse. Fidem namque superat, aliorumque fide dignorum destituitur suffragio, quod in historia *Macchabæorum* triginta duo in turribus pugnas se dicuntur. Quare locum illum, ceu vitiosum, variis restituere modis aggrediuntur eruditi, quorum quidam (teste *Majo*) in numerorum figuris lapsum statuunt: β pro λ β scribendum esse censes. Reliquorum opiniones apud *Bochartum* videre licet. Quod vero paradoxum sit tot numero bellatores uni insedisse *Elephantum*, non potest non facile fieri reputanti, quantum requiratur spatii, ut tot armati manibus uti possint. Præter hos turrim occupantes, rector bellæ,

(qui, quoniam hac arte, qui in India nati sunt, ceteris præstant, aliosque edocuerunt, cujuscunque sit, Indus appellatur) collo insidet, manu ἄρπην i. e. ensem falcatum, quo bestiam regit, gerens. Multis deinceps funestisque edocti exemplis quam sit commune in bello malum Elephas, manubriatos cultros dextris manibus illigare cœperunt ἐλεφαντισαί, quibus, si vulneribus vel terrore percita in suos converteretur bellua, vertebram, quæ caput a cervice determinat, terebrabant.

§. III.


Belli jamjam adituris discrimen non vini tantum, sed & ex hordeo factitii potûs indulgetur usus, quo alacriores effratiorisque prælium capeffant. Nec haustu tantum vini, sed solo quoque aspectu irritari Hasmonæorum historiæ conditor tradit, *Elephantis, inquit, ostenderunt sanguinem uva & mororum, ut eos ad prælium exstimularent.* Quod contra Franciscum Valles: rabiem hanc commotioni sanguinis indeque excitatæ iræ, tribuentem, ex appetitu ac spe vini potiundi

tiundi ac bibendi factum cum Bocharto
 Majus sentit, Plutarchi Senecæ & Ovidii
 nixus testimoniis, qui candido (non ve-
 ro rubro) colore irritari Elephantes con-
 stanter asserunt. In aciem deinde pro-
 ducti non eodem ab omnibus dispone-
 bantur ordine. Quidam enim, cutis fi-
 dentes duritiei ante prima signa propu-
 gnaculorum ad instar ipsos statuerunt.
 Alii post terga exercitus eosdem locarunt,
 ut per ordines laxatos de improvise in-
 tromissi subitum terrorem equis pariter
 ac hostibus injicerent. Per phalanges de-
 nique ab Antiocho Eupatore distributos
 esse ex 1. Maccab. c. 6. v. 35. constat. In
 ipso tandem prælii concursu non otiosi
 sunt spectatores, nec turribus suis fun-
 dos tantum & fulcra præbent Elephantes:
 sed mole dente, promuscide & pede ti-
 mendi sunt ac formidabiles, ceu ex Cur-
 tio aliisque videre est. Diversa proinde a
 diversis Imperatoribus, quo barorum in
 bellis usus rederretur inutilis, excogitata
 sunt stratagemata, quorum illud, quo
 Alexander adversus Porum utebatur, ut-

potē a Curtio Lib. 8. notatum omnibus-
 que notum sciens prætereo. Memoratu
 vero dignus est Megarensium astus, qui,
 ut refert Ælianus, cum Antipater Macedo-
 num Rex illos bello adortus, Elephan-
 torū copia facile superior esset, porcos pice
 oblitos & igne injecto ardentes in Elephan-
 torū agmen immisere; qui partim grunnitu
 quo naturaliter perterrentur vastissima ista
 animalia partim incendio turbati, inq; fu-
 gam versi præclaram Megarensibus pepe-
 rere victoriam. Ut vero experientia palam
 fecit, cutem in ventre mollem facile vul-
 nera accipere; probo scidis quoque, quip-
 pe cujus extrema pars nervosissima est,
 sensusque tenerrimi, adeo ab Elephantis
 metui percussionem, ut, si vel bacillo mi-
 neris, sub ventrem eam occulant, & bar-
 rientes abeant, multæ ipsos perdendi, in-
 que suos cum strage convertendi adin-
 ventæ sunt viæ. Videntes igitur Roma-
 ni; anceps auxilii genus esse Elephantos
 sæpeque nomen sine usu, inexpiabile
 ipsis bellum indixerunt, sequentique, post-
 quam

quam in Europam ipsos Alexander Magnus primus invexerat, seculo, usum illorum bellicum aboluere, Jugurtam Regem Numidarum a Mario victum ea lege in ditionem accipientes, ut Elephantibus 30 traderet. Idem quoque Carthaginenses, Philippus Macedonum Rex & Antiochus facere jussi sunt, prout ex Livio & Polybio constat,

SOLI DEO GLORIA.



SOLE DIO GLORIA.



MA RV 5631